



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.  
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ  
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

**Bacon, Francis**

**Francofvrti ad Moenvm, 1665**

XIV. Memnon, sive Præmaturus.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5**

fieri non possit) in tali necessitate posita in miras rerum transformationes & effigies se vertit: adeo ut tandem veluti in orbem se mutet, & periodum impleat, & quasi se restituat, si vis continetur. Eius autem constrictionis, seu alligationis ratio magis facilis erit & expedita, si Materia per Manicas comprehendatur, id est, per Extremitates. Quod autem additur in Fabula *Proteum* Vatem fuisse, & trium temporum gnarum, id cum Materia natura optime consentit. Necessesse est enim, ut qui Materiae passiones, & processus noverit, rerum Summam & earum quae factae sunt, & quae fiunt, & quae insuper futurae sunt, comprehendat, licet ad partes & singularia cognitio non extendatur.

## XIV.

MEMNON, SIVE PRÆ-  
MATURUS.

Memorant Poëtae *Memnonem* *Aurora* filium fuisse. Ille armorum pulchritudine insignis, & aura populari celebris ad Bellum *Trojanum* venit, & ad summa ausu præcipiti festinans, & anhelans, cum *Achille* Graecorum fortissimo, certamen singulare inivit, atque ejus dextra occubuit. Hunc *Jupiter* miseratus aves lugubre quiddam & miserabile perpetuo quirantes ad Exequias ejus & funeris decus excitavit; Eiusdem statua quoque *Solis* orientis radiis percussa, sonum flebilem edere solita fuisse perhibetur. Fabula ad adolescentum summæ spei Calamitosos exitus pertinere videtur. Illi enim tanquam *Aurora* filii sunt; atque inanium & externorum specie tumidi, majora ferè viribus audent, atque *Heroes* fortissimos laceant, & in certamen deponunt, & impari congressu succumbentes, extinguuntur; Horum autem mortem infinita commiseratio sequi solet: Nil enim inter Fatamortalium tam flebile est, tamque potens ad misericordiam commovendam, quam virtutis flos immaturo exitu præcisus. Neque enim prima ætas ad fatietatem scilicet, aut ad invidiam usque duravit, quæ inestitiam in obitu lenire, aut misericordiam temperare possit; Quin etiam Lamentationes & Planctus non solum tanquam Aves illæ funebres circa rogos eorum volitant, sed & durat hujusmodi miseratio, & producit: Maximè autem per Occasiones & Novos motus & Initia magnarum rerum, veluti per *Solis* radios Matutinos, Desideria eorum rorantur.

## XV.

TYTHONUS, SIVE  
SATIETAS.

Legens Fabula narratur de *Tythone*, eum ab *Aurora* adamatum fuisse, quæ perpetuam ejus consuetudinem exoptans, à *Jove* petiit, ut *Tythone* nunquam mori possit: verum incuria mulieri oblita est petitioni suæ & illud inferere, ut nec senectute gravaretur. Itaque moriendi conditio ei erepta est, senium autem secutum est mirum & miserandum, quale consentaneum est evenire ei, cui mors negatur, & perpetuo ingravescit. Adeo ut *Jupiter* hujusmodi sortem miseratus, tandem eum in *Cicadam* converterit.

Hæc Fabula ingeniosa adambratio & descriptio voluptatis esse videtur; quæ à principio velut sub tempus *Aurora*, adeo grata est, ut homines vota faciant, ut gaudia hujusmodi sibi perpetua, & Propria sint, obliti fatietatem & tedium eorum instar Senii, ipsis non cogitantibus, obventura. Adeo ut ad extremum cum actiones voluptariae homines deserant, cupido verò & affectus non moriantur, fieri soleat, ut homines sermonibus tantum, & commemorationibus earum rerum, quæ eis integra ætate voluptati fuerunt, se oblectent. Quod in *Libidinosis*, & viris *Militariibus* fieri videmus, cum illi impudicos sermones, hæc facinora sua retractent, *Cicadarum* more, quarum vigor tantum in voce est.

## XVI.

PROCUS JUNONIS, SIVE  
DEDECUS.

Narrant Poëtae *Jovem*, ut amoribus suis potiretur, multas & varias formas sumpsisse; *Tauri*, *Aquilæ*, *Cygni*, *Imbris aurei*; Cum autem *Junonem* sollicitaret, vertisse se in formam maximè ignobilem, atque contemptui & ludibrio expositam. Ea fuit miseri *Cuculi*, imbre & tempestate madafacti, & attoniti, tremebundi & semimortui: Prudens Fabula est, & ex intinis moribus desumpta. Sensus verò talis, Ne homines nimium sibi placeant, existimantes virtutis suæ specimen, eos apud omnes in pretio, & gratia ponere posse. Id enim succedere pro natura, & moribus eorum, quos ambiunt, & colunt, qui si homines sunt, nullis ipsi dotibus, & ornamentis insigniti; sed tantum ingenio sunt superbo & maligno (id quod sub figura *Junonia* representatur) tum verò norint sibi exendam prorsus esse omnem personam, quæ vel minimum præ se ferat decoris, & dignitatis; atque despere se planè, si alia via insistant; neque satis esse si obsequii deformitatem præstant, nisi omnino se in personam abjectam & degenerem mutant.

## XVII.

CUPIDO, SIVE A-  
TOMUS.

Quæ de *Cupidine* sive Amore dicta sunt à Poëtis; in eandem personam propriè convenire non possunt: Ita tamen discrepant, ut confusio personarum rejiciatur, similitudo recipiatur. Narrant itaque Amorem omnium Deorum fuisse antiquissimum, atque adeo omnium rerum, Excepto *Chao*, quod ei coævum perhibetur; *Chaos* autem à priscis viris nunquam divino honore, aut nomine Dei insignitur. Atque Amor ille prorsus sine parente introducitur; nisi quod à nonnullis *Ovum* noctis fuisse traditur. Ipse autem ex *Chao*, & Deos, & Res universas progenit: Eius autem attributa ponuntur Numero quatuor, ut sit infans perpetuus, Cæcus, Nudus, Sagittarius; fuit & Amor quidam alter, Deorum nati *Minimus*; *Veneris* filius; in quem etiam Antiquioris Attributa transferuntur; & quodam modo competunt. Fabula ad Cünabula Naturæ pertinet, & penetrat. Amor iste videtur esse Appetitus, sive Stimulus Materiae primæ; sive (ut explicatius loquar) *Motus naturalis Atomus*. Hæc

Hhh 3